

& Regiminis, quodque hæc voluntati Causæ primæ congrua sunt & grata. Sentimus enim in nobismet ipsis corpus nostrum naturaliter ideoque divinitus, non tantum uniri Mentibus nostris, verum etiam illarum regimini subjici in actibus plurimis memoriæ, affectuum, & motuum præcipuè muscularium. Hinc autem velut affixâ Menti idæâ seu exemplari Politicæ perpetuò admonemur, quàm diversæ res, propter subsidia, quæ afferant mutua, velut unum aggregatum necessario considerandæ sunt, dum causas quærimus feliciter vivendi; quàm necessarium est, ut è partibus nostris aliæ ab aliis determinentur; quantum profit ordo partium inter se, & quàm necessarius est ordinatus plurium causarum concursus ad omnes penè effectus naturæ nostræ gratos; quanto usui sint officia partium mutua, & quàm perniciofa sit aliarum ab aliis separatio, quæ mortem naturalem minitatur. His pertractatis, agendum est de Bono & quidem maximo, quod in nostra aliquatenus potestate positum est.

CAPUT III.

De Bono Naturali.

Bonum est quod rei cujuslibet, vel plurimum, facultates conservat, vel insuper adauget & perficit. His enim effectibus se prodit peculiaris illa convenientia rei unius cum altera, quæ requiritur ut huic Naturæ, præter alias, quicquam Bonum esse dicatur.

Convenientiæ vocabulo non sum usus in definitione Boni, quoniam valdè Æquivocum est. Ea

ta-